Krobski Francisci Jos: Caput Bonae Spei —

CAPUT BONÆ SPEI.

ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSImo

AC

REVERENDISSIMO DOMINO,

D. CASIMIRO

A ŁUBNA

ŁUBIENSKI,

DEI & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ

EPISCOPO CHEŁMENSI,

CANONICO, Sede vacãte Episcopatûs Cracoviensis, ac Ducatûs Severiæ, Generali;

ADMINISTRATORI,

Perpetuo Commendatario Abbatiæ Czervenensis.

Almæ UNIVERSITATIS ZAMOSCENSIS FAVENTISSImo

CANCELLARIO,

Circa Solennem Suæ Celsitudinis in Cathedram Ingressum,

Stylo licèt inculto,

Sed

Affectu & veneratione æquè submissis

REPERTUM.

AC

inter faustas Orbis Poloni acclamationes

CULTU OFFICIOSISSIMO

Nomine Venerabilis CAPITULI, ECCLESIÆ COLL: ZAMOSC:

PER

M. FRANCISCUM JOSEPHUM KROBSKI,

Philosophiæ Doctorem, ejusdemq; Elementorum & Eloquentiæ in Alma Universitate Sariana Ordinarium Professorem, CANONICUM Zamoscensem.

DEMONSTRATUM.

ANNO Demonstratè in CARNE SUPREMI ECCLESIÆ CAPITIS 1706.

ZAMOSCIJ, TYPIS UNIVERSITATIS.

In Gentilitia Arma
ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI
PRÆSVLIS.



Desine fulmineos precor exhorrere Planetas
Desine Cæleſtes CHEŁMA pavere minas.
Nunc attolle CAPUT tranquillæ præſcia pacis.
Omina læta DOMUS ŁUBIENIANA facit.
Cum nova PRÆSULEÂ texit fortuna Tiarâ
ŁUBIENIUM, fauſtæ ſpes bona pacis adeſt.
Aurea Saturni redeunt jam ſêcla Polono
Orbi, dùm rutilat Sanctiùs hocce CAPUT.
Subdola pax hæc eſt, quæ cæde & Sanguine parta eſt
Conſilio CAPITIS ſed ſtabilita viget.
Ergo Præsulei culmen dum ſcandit honoris
ŁUBIENIUS Patriam, credito pace beat.

CAPUT
BONÆ SPEI.

INquietis elatarum Mentium Capitibus, cùm ferè totus Europæus impleretur Orbis; cùm jam planè Vlysseis instructos artibus Genios, inclytum Lechiæ Regnum, perversis cōsilijs & impijs Conatibus pessumdare cupientes, Catilinariâ conjuratione, in exitium Patriæ jurejurādo obstrictos, recens aut produxerit, aut repererit ætas, en ecce propitium Numen, super afflicto statu gementis Patriæ nostræ misertum, ejusmodi Divinâ providentiâ suâ, imminētibus occurrendo malis, pacis exoptatæ fædera TVI GENTILITII CAPITIS Consilio stabilienda, nobis singulis benignè confert. ILLVSTRISSIME EXCELLENTISSIME ac REVERENDISSIME DOMINE. Nunquam nostris abhinc eludemur votis, dum Superûm favore in TVIS AVITIS decoribus *CAPVT BONÆ SPEI* Lybico circumfusum metallo splendidiùs radiare in Orbe Sarmatico nostra oculorum acie cernimus. Occurrimus obviam Peraugusto CAPITI TVO, lætum pæana nunc primùm bonâ fide intonare discentes, qui tot Annis inter assiduos fulminātis Gradivi turbines, cum tot Annorum spatijs inter publicos luctus lætitiā fingere inter lanienas & cædes emētitis gestire gaudijs raptis fumantibus hinc indè incensarum Vrbium Pagorumque bustis titiones, in triumphales flammas adaptare, inter tristia fatorum ac vicissitudinum, quæ nos longo temporis intervallo undiquaq; premunt mala, inter ferales Nænias Hilaria spar-

gere, & quasi in pullatis ac Tragicis ludis lætum pæana canere inveteratum & quotidianum habebamus. Nunc stupescimus ad ignota nobis bona, & quos singultus ac suspiria inter communes malorum myriades impendere, vel nescivimus vel non potuimus, nunc gestientis Animi & in gaudia profusi vehemens impetus, non invitis excitat præcordijs, sive quia majora flendis passi sumus, sive quia diversis idem liquor asservatur fontibus: sed hic Nobiliori, quem Largitori honorum omniũ DEO velut gratitudinis homagium rependimus, ille ignobiliori, quem Patriæ nostræ malis tanquam incendio restinguendo Aquam porrigimus. Intuere PASTOR ILLVSTRISSIME effusam ad Sui amplexum Diœcesim TVAM hilari plenam genio, pronâ veneratione TE PRÆSVLEM Suum salutantem. Antiqua Primatialis dignitatis possessio est ILLVSTRISSIMA DOMVS TVA Sacra olim & supereminentibus honorum prædives fastigijs, viribus præsidens Procerum Regni Collegium, Majestatum delicium & ornamentum Sacratior telluris ambitus, si non adfuisset, tanti Capitis stabilimentũ jã forté exotica effossum humo, & antiquæ saxo devorásset invidiæ exacutũ ferrũ, totum Sarmaticum Orbem. Sed exeste hinc impia Eumenidum conamina! transferte aliò armorum sedem! lenit atque sedat cruenti Martis ferociam Sacratum PRÆSVLIS Nostri CAPVT. Firmat adhuc teneræ incrementa pacis Magni Capitis consilium. TV PRÆSVL ILLVSTRISSIME sanctior pacis Arbiter afflicto gregi tantum pignus conservabis apud Deum & Regem, Pontifex & Senator. Tu publicæ felicitatis Prodromus, pacis fædera contendes esse diuturna. His TE bonæ spei florentem ominibus amplissimarumq; virtutum numeroso stipatum famulitio TVA excipit Diœcesis, eò magis lætior & augustior quia talem TE habet, qualem optavit semper, sperare vix unquam potuit. Sacrorum peritissimum Pontificalibus curis ac negotijs sedulò intentum, ac nullo temporis momento ab illis vacantem, ac fere ullis laboribus indefessũ. Ad Tyaram itaq; TVAM Sacro Præsulei honoris radiantem murice, venerabundo poplite cum ex intervallo accedit Venerabile Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Zamoscensis, purpuream in TE Majestatis vim arcanam fatetur, collectosque

Spiritus

Spiritus vehementius urget, quò magnificentior prodeas, cum ex Cracij Administratione Sede vacante Episcopatûs, felicibus auspicijs ad Chelmensem Cathedram jucundam & exoptatam facis gradationem ac inauguratione Capitolium in TE & Arces Tarpeias referens, quarum culmina honori TVO inclinata supergressus, Conspectū nostrum nunquam exsatiabis. Ergo incompositum licèt, licèt effusum & præ magnitudine gaudij sui oblitum sine Arte, sine Cothurno prodit, occurritq; Tibi PRÆSVL ILLVSTRISSIME, nec septizonia Tibi, vel Arcus molitur triumphales quia manibus plaudit, quia manus Tuas tornatiles aureas plenas hyacinthis, & odoramentis gratiæ exosculatur, utrumq; id agit ut TIBI, & Orbi constet totam Diœcesim Tuam æstu publicæ lætitiæ abripi, legibusq; panegyricis solvi ut in sincerissima gaudia resolvatur. & cum sol lætitiæ nostræ sis, a toto congregati cætûs agmine in Tuum applausum conspici non possis, permittas TE à Capitulo Zamoscano sub umbra vel nube videri.

Novum Nomen, & faustum omen felicitatis Polonæ invexit Purpura TVA Diœcesi nostræ Chelmensi ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME Domine, dum Armis Bisontis Tui non aliud indidit Agnomen, nisi POMIANVM hoc est CAPVT BONÆ SPEI, purpuratis belli pacisq; ornamentis illustrissimum. Prolixum tantorum decorum ordinem recensere, nec ipsi oculati & perspicaces Investigatores sufficerent Okolscij. Summorum titulorum & laticlaviorum Regni celsitudo in Tuis PRÆSVL ILLVSTRISSIME collecta perennat Avis & Atavis. Trabeatæ purpuræ murice, & fulgore totum Sarmaticum irradiat Orbem. Non infra gloriam bonis magnisq; Viris ad amplissima præsertim Honorum fastigia gradatio est, publicè de Republica bene merendo, illustria facinora semper agendo, debitam suæ virtuti mercedem, Herculeis passibus prævenire. Nō alia semita ad Curules Senatorias, & eminentium Dignitatū alta subsellia etiam Tuis PRÆSVL ILLVSTRISSIME Antenatis pervenire concessum est, Duce Heroica virtute, Comite Magnorum Optimorumq; pedissequâ Virorum fortunâ; illisq; per ardua quævis ad Augusta Supremorum in Republica Honorum Capitolia tendentibus, bonum omen, & auspicium felix Aviti Bisontis Insigne Caput exhibuit. Nihil jam

hil jam malignantis fortunæ ſævities Veſtro Gentilitio poterit obeſſe Capiti, ſi propitium illius Numen in Sacrum verticem omnium fortunarum ac felicitatum abyſſos, Cæleſtium favorum, & gratiarum pleno alveo copioſos effundit Oceanos. Inter quos primos exorientis Phæbi igniculos æmulatur, & perennibus virtutis ac gloriæ flammis accenſam lampada ſequacibus præſentat & tradit ILLVSTRISSIMVS Dominus NICOLAVS de Lubna ab HEBDIIS & NIEVIESSIIS deſcẽdens LVBIENSKI, Palatinus & Capitaneus Sieradienſis, à quo poſteritas NICOLAI HEBDA de Niewieſz perãplas aſſumpſit denominationes. Infauſtum licet ad Choyniciam contra Crucigeros prælium ſub CASIMIRO III. POLONIARVM REGE ultimum vitæ diſcrimen, ILLVSTRISSIMO olim & EXCELLENTISSIMO Domino ANDREÆ LVBIENSKI, Supremo Regni Theſaurario attulerit, nihilominus in ipſo vitæ occaſu majorem Phæbo diem accenderunt æviternæ ipſius gloriæ illuſtria facta, ac felici metamorphoſi cõpenſârunt, dum pro Cælo in terris ſtrenuè decertando immortale retulit trophæum, ut & poſt funera victor, in triumphali Crucis Signo cũ Diviniſſimo Indigete ſuo non vano omine exſtiterit, cui in Epitaphij locum Annalium Scriptoris oculatiſſimi Okolſcij extat ejuſmodi inſcriptio:

Expectas, faciam Tibi forſan verba Viator?
Non faciam, faciet ſed mea tumba tamen.
Pomian *LVBIENIVS jacet hac tumulatus in Vrna*
Gloria Nobilium lauſq; decuſq; Ducum.

NE ſolos Romanos exemplis valuiſſe bonis fama in majus celebret, ſplendidiſſimæ LVBIENSCIORVM DOMVI Polonia debet: dignius longè tantis Nominibus itura in ævum. Non illi ſumma Sacerdotia, Conſulares faſces, omnẽque interiorem potentiam ut ſpolia, ſed alta honorum inſignia, ut Divina publicaq; munia adepti; ſemper DEVM & Rempublicam potiorem haberent, quàm hominum famam; vel rerum opulentiam; Fateor ILLVSTRISSIME ANTISTES Laconem me voluiſſe fore in recenſendis TVORVM PROTO-GENITORVM dignis æviternâ memoriâ geſtis, ne moleſtus Tibi eſſem, ac ingratus, glorioſa ipſe facere, quàm ab alijs etiamſi Tuis facta audire, heroicâ diſtinctione elegiſti

ſed

ſed parce quæſo brevibus ulteriora memoranti. Pati non poſſum latere lucem, quam SVENTOSLAVS LVBIENSKI, pietatis virtutumq; ſplendore conſpicuam, multorum de Republica meritorum radijs nitidam, & illimẽ accendit, in ſplẽdidiſſimo ipſius filiorum Sacratioribus Tiaris, necnon alijs præcellentium in Eccleſia DEI honorum titulis gaudentium quaternione, Fortunatiſſimum Conjugium cum BARBARA de Zapolice, ILLVSTRISSIMI olim ac REVERENDISSIMI DOMINI MATHIÆ de Buzenin PSTROKONSKI, Epiſcopi Vladiſlavienſis & Pomeſaniæ, Regni Supremi Cancellarij Sorore conſobrina, genere, opibus, probitate, & prudentia, Excellentiſſima MATRONA, quòd in decus & ornamentũ Eccleſiæ, Reipublicæ fulcrum, & ſuſtentamentum, tot velut Angulares lapides & Columnas prodidit. Celſiſſimi olim PRÆSVLIS, ILLVSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI ac REVERENDISSIMI DOMINI MATHIÆ LVBIENSKI, Archiepiſcopi Gneſnenſis, Primi Principis, Primatique Regni, Pietas, Fratrum Germanorum primum ſibi vendicat encomium, quod juvenilis ætatis ſuæ florem ſcientiarum fragrantiâ imbutum etiam ad curſum ulterioris vitæ ſuæ, odorem ſuavitatis in Patriæ & Eccleſiæ decus & tutamen, in Sanctuarijs DEI, Ter Optimi, Maximi, in commune ſ[?]argendum, indubiè ſemper ominabatur. Ille quippe honorem DEI, & cultum, utilitatem communem anteferendo privato commodo, in quatuor Cathedris Pontificalibus, Chelmenſi, Poſnanienſi, Vladiſlavienſi, deniq; Gneſnenſi, zelo ergà DEVM, & Sanctuaria ipſius minori olim aliorum Benefactorum ſtipẽdio fundata, & dotata, proprijs non parcendo impenſis, munificentiſſima manu eorundem ditavit paupertatem, auxit proventus, fundationes novas in illis erexit ad perpetuum Divini Cultûs honorem promovendum, Pſalteriſtas, illiſq; debitum pro Divino Officio abſolvendo præmium, liberali dexterâ providit ac conſtituit. Alumnum pietatis egit, nõ ut pietatem ſuam religioni anteferret, ſed ut in gradu pietatis ſiſteret, *cum & pietas ſit fides, & pietas vera, ſit DEI verus cultus*. Hinc & morum gravitati ſtuduit, & firmum eorundem poſuit domicilium in religionis obſervantia condignum, quia vivum in ſemetipſo repræſentavit Sacrarium. *Neſcit*

virtus

virtus palliata tegi, prodit in Apricum solem, quem licèt suis modis fugeret, non tamen effugit, quin etiam post illius vitæ decessum dulcis præteritorum ipsius præclarè gestorum recordatio in Commentarijs innocentissimæ vitæ ipsius exstet.

Quúcunq; laudes persequeris modis
Quúcunq; laudes obtenebres notis
Virent, vigent, namq; alma nescit
Exitium capulare virtus.

NOn soli Constantino Magno pulchrum, & decorum fuerat nedum scire, & virtute præesse, sed etiam prodesse. Nec aliter visum est ILLVSTRISSIMO olim MATHIÆ LVBIENSCIO, Primati Regni, cito labentes temporum dies felici terminare exitu, nisi omnibus benefaciendo, omnium inopiæ succurrendo, eamq; proprijs impensis non parcendo; munificentissimè ditando. Liberalissimè in sacraria DEI effusam ipsius beneficentiam, vel in primis Miechoviensis Cōventus plenis proclamet buccis, quem Abbatiali dum fungeretur Officio, sumptu proprio magnificum reddidit, ac restauravit. Loquatur Ecclesia Vanckoviensis, quam vel ideo ex fundamentis, Magnis impensis ex muro fieri curavit, quod in ea de Sacro fonte Baptismatis levatus fuerat, eandemq; Custodibus Sacri Sepulchri procurandam tradidit & commisit. Chelmēsem Cathedram cujus Pastor vigilantissimus exstiterat quantâ solertiâ, pietatis ēxemplo, Sanctarumq; virtutum stipatus satellitio administraverat? nemini non est notum. Ad Posnaniensem deinde evectus Cathedram, toto Regiminis sui intervallo Liberalitati studuit, & Paternâ benignitate illam fovendo, florentem effecit, non ideo beneficentiæ suæ rivulos in commune spargere dulce & decorum semper sibi putabat, ut in perpetuam rei memoriam posteritati exemplum reliquisset, sed ut vigilantissimi Pastoris Officio non deesset, & optimè mereri de Sacrosanctis in DEI cultum extructis Basilicis nunquam cessavit, ut conscientiam suam *integram vitæ scelerisq; puram* DEO Ter Optimo Maximo conservaret. Nondum ipsius munificentiæ hic terminus est; progressum ipsius cernere facile est, etiam in Episcopatu Vladislaviensi & Pomesaniæ, ubi unicè idipsum curavit, quatenus boni Pasto-

ris,

ris, & munus, & rem vivis coloribus in seipso depingeret: ut verè ille sit

Felix, cui talis cessit trajectio secli.

Mille neces veniant, funera nulla timet.

ASCensum verò ipsius augustissimum DEI & Sanctæ Sedis Apostolicæ, tum VLADISLAI Quarti Poloniarum Regis Gratiâ, & favore ad Archiepiscopatum Gnesnensem, & Primatialem dignitatem

quæ non mirabitur ætas?

FErebatur Aquilæ volatu, imò celeriùs, renovãdo plumas, ad munia Ecclesiastica, & Officia Spiritualia ritè obeunda, ferventiori zelo cultum Supremi Numinis promovendo, gratiosissimus refloruit. Ita ille decorem domûs DEI, atq; in ipsius ministerium consecratos Mystas tuebatur, promovebat, atq; curabat, ut non fortuito casu, aut eventu quaterna ipsius Sacrati Capitis vertici obtigerit Infula; non aliquo fortunæ favore ad sublimes honorum apices, sed proprijs meritis & virtutum comitante catervâ stipatus, gloriosè evectus est: Vir per omnia quadratus. Nec minor lucis honor irradiat emeritas ILLVSTRISSIMI olim ac REVERENDISSIMI Domini STANISLAI LVBIENSKI Fratris germani virtutes, cujus fronti Plocensis Infula Sacris cinxerat unionibus, ac in peraugusta Procerum Auge splendidiùs refulgentem monstravit, Et enim primâ ab adolescẽtia, magnanimâ crescẽtes indole vires, admixtâ pietate sibi, cætuq; decoro virtutum, vultuq; gravi ridẽtis honesti, & faventium sibi Virorum præeunte cohorte, affectus omnium, suâ comitate, & probitate morum devinciebat, Patrijs non contentus Athenis, etiam sub exotico sole varijs in Academijs Nobilissimum ingenium suum, tenerosque annos, ad Reipublicæ & Patriæ emolumentum, diversarum scientiarum flammâ excoquebat. In exteris Regionibus, externos non induit mores, sed Patritij Iuris & Cancellariæ Regni jam gnarus, ibi animum, & Vires suas contulit, quibus studijs nedum ILLVSTRISSIMIS & REVERENDISSIMIS *EPISCOPIS*. PSTROKONSCIO, GEMBICIO, TYLICIO desideratus, sed etiam Senatui, ac Serenissimo REGI charus exstitit: atq; ob eas præclaras dotes Serenissima MAIESTAS ipsi sui Regij favoris & munificentissimæ liberalitatis fontem

 nun-

nunquàm clausum, verùm perennibus scaturientem rivis exhibuit, dum illum Abbatia Tynecensi, Procancellariatu, tandẽ Cancellariatu Regni, Episcopatu Luceoriensi & Brestensi, demum Plocensi condecoratum, Illustrissimum inter cæteros Regni Proceres & Excellentissimum fecit Senatorem, vel ideò, quod immunitatis Ecclesiasticæ, Legum, & libertatis, ac dignitatis Regiæ, scutum inexpugnabile exstitisset. Oraculum cõsilij, perfectionis, ac eloquentiæ ipsum crederes, cujus rationibus, & ductu, Serenissimus ac Potentissimus SIGISMVNDVS III. Poloniarum REX, belli suscipiendi cum Sueco causas persuadenti adhæsit. Memorabile certè & omni dignum encomio opus, silentio præterire nequeo, quòd Episcoporum Plocensium vitas olim a Reverendissimo ANDREA TRZEBicki, Scholastico protunc Plocensi prælo datas conscripsit, & normam vivendi Successoribus, Pastorali in munere ipso factò præbuit. Tacebo dulcis ipsius eloquij documenta? atq; inter alia, hoc saltim in medium adferre liceat, quod quadraginta Annorum spatio, varijs in negotijs publicis Regum, & Reipublicæ diu noctuq; navare operam, usq; ad ipsum vitæ terminum non desierit. Sustinebunt perennaturæ in ævum Gloriã ejus Basilicæ Plocensi, Columnæ, & quæ collapsam ferè erexerunt illam, nomen illius ad Sydera attollent. Non satis videbatur ipsi ruentia fulcire Sacraria, verùm etiam ad majorẽ DEI cultum, Ecclesiæ ornamentum, Novemdecem Sacerdotum, ac Clericorum cætum, ad psallendas diurnas nocturnasque horas eidem adscivit Basilicæ. Quid dicam de Collegijs, varijs in locis fundatis? quid de ipsa Alma VNIVERSITATE Cracoviensi referam? cui tot tantaq; Almi PRÆSVLIS gratia, largâ manu contulit beneficia, ut pro illis Cælum amplâ mercede, ipsummet Datorem coronet, assiduis Supremum Numen precibus fatigabit. Quid de Contubernio Cracoviæ Noscoviano nunc Philosophorum dicto, quod ille ex amore erga Patrias Athenas, liberalissimè locupletavit. Quid de cæteris infinitis ipsi⁹ præclarè gestis dicam? unico præconio cũcta præclara ipsiùs in Rẽpublicam merita claudere mallim quod ipsi Eminentissimus Cardinalis, Annibal Bentivolus post vitæ ipsius decessum adornavit. *Illum Religio Catholica Propugnatorem acerrimum, eloquentia lumen eximium, Polonicum*

nicum

nicus Senatus prudentiæ normam, suspicient, & mirabuntur. Germanæ pietatis honos jam pondere laudum rudis eloquij pennam premit, REVERENDISSIMVS Dominus ALBERTVS LVBIENSKI, Tertius FRATER, Præpositus Pultoviensis, Gnesnensis & Cracoviensis Canonicus. longâ oratione meritò venerandus, fraternarum virtutum amantissimus Heres, splendidiùs in Sacratis DEO refulget Aris, qui fastigiatos honorum vertices, ultrò contemnente protruserat manu, & eos nonnisi promeruisse ex meritis gloriosum esse putaverat. Soli pietati ergà DEVM intentus, commune bonum, suâ humanitate, atque beneficentiâ promovebat, dùm inopiâ presis, DEO in obsequium mancipatis Virginibus, & gemmam castitatis studiosè servare volentibus, dotem sufficientissimam offerre, ad Monialium Cænobia deducere, easdemq; commendare, pro insigni pietate & amore ergà proximū hoc esse duxit. Academicos etiam inopē vitam ducētes, proprijs sumptib⁹ & alere & sublevare moris habuit. Animadverterat nimirū cum S LVDOVICO, Galliarum Rege, nobiliores expensas nūquàm inveniri, quàm dùm expenduntur in eos, qui & Ecclesiam Sanctam dilatate, ac tenere, & Rempublicam perpetuis temporibus, consilio, & fortitudine amplare & juvare posset. Post recensitos, quibus insigniti fuerant Tres Fratres Germani in Ecclesia DEI honores, mille elogijs celebrandus Ternio, tantis honoribus gloriosus, tantis meritis, & eximijs virtutibus onustus. Quartum videlicet MARTINVM LVBIENSCIVM, Sacræ Theologiæ Professorem, fraternarumq; virtutum participem & Possessorem, suis associat encomijs, qui plùs animam quam fortunam secretâ mentis delectatione cōtemplando, omnem fastum sæculi contempsit, & religiosam ducere vitam D. Ignacij ergà DEVM igne accensus, gloriosum putavit. Gratiosum imò Gratiam ipso ex nomine IOANNEM LVBIENSCIVM, Quintum, & ultimū Germanū Fratrem in memoriam revocare non ingratum putarem, qui humanioribus literis generosam indolem suam optimè excultam, virtutū morumq; probitate insignē, Patriæ in obsequiū, decus, & ornamentum vovit & consecravit, multumq; eam proprio consilio, ingenio, ac fortitudine varijs in occasionibus adjuvare, ad ultimum vitæ momentum non fverat gravatus. Sed hæc ab alijs parta decora licèt in Te felici defluvio derivata, non Tua, quantumvis Tua, altissima Tua censet

Prudentiâ.

prudentiâ, quæ Tua ipsius progenuit virtus, ac animi sublimitas parturivit dulciora Tibi & gloriosiora, Nobis verò nũquàm satis admiranda & prædicanda videntur.

AD Te igitur jam Tuis ANTENATIS non imparem PRÆSVL ILLVSTRISSIME cum sua salutatione Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Zamoscensis, non sinè prono venerationis homagio accedit, suspicit Gentilitium CAPVT TVVM Chelmensi rutilans Infula, Teq; ATAVORVM per vestigia ad Purpuram Curulimq; Terræ suæ possidendam euntem miratur, atq; in ea jam considentem venerabũdũ salutat. Quidquid in Prædecessoribus Tuis ad Sacras Aras per meritorum ac virtutum semitas legitimè occupatas gloriosè actum resplẽduit, id totum potiore sereno super Ore TVO splendidiùs emicat, qui singula factis exprimis, illorumq; terens vestigia, gressum Præsuleo firmante Pedo, procedis, & in Te effigiem TVORVM venerando vultu prætendis Avorum, quinimò Perillustris & Magnifici Domini SIGISMVNDI LVBIENSKI, Vexilliferi Sieradiensis Progenitoris Tui, vivam exprimis morum ac probitatis imaginem, cujus invicta fortitudo, & heroica facinora in cruento Gradivi Campo toties probata, Patriæ salutem, & incolumitatem, Vestro Nomini gloriam, & decus immortale perperêre. Ejus imperterritum Animũ ipse etiam Sueticus probavit Leo. Stephano CZARNECCIO invicto Alcidæ Polono, Martialium laborum ac discriminũ socius, toties fortissimè pugnando, Victor ex Acie Martis ad Patrios redierat Lares; Amplissimi pro tantis meritis expectabant ipsum honores, sed invida fata majores in luce moras eidem ferre non concesserunt. Nobiliora tamen præmia & dexteritatis ipsius coronamenta, in Cælis propitium Numen parans, terris excesse coëgit. Non absimili laudum stipata satellitio ILLVSTRISSIMA CÆCILIA Palatini Derpatensis Filia, PARENS TVA PRÆSVL ILLVSTRISSIME, Oratorum fatigat ingenia, cujus singularis prudentia in summis rebus, & Alti Sanguinis claritudo imbecillem fortè non patientur Encomiasten. Ex lectissima peruetusti OPACCIANI Sanguinis gemma Cæciliam, gratiarum unam, non licuit nasci nisi gemmeam. Paterno illa pectori charissimum ab ipso monile pretiosissimus Religionis unio, quem T V] PRÆSVL ILLVSTRISSIME Nostræ Chelmensi Infulæ tecum inseris, & superaddis. Audivimus quòd dum Cracijs

Musis

Musis insudares, primævas Lucina faventior ulnas plaudentе expanderat TIBI manu, imò Augur Apollo, dum adhuc haurire lucem, primo exordio auspicabaris, *unà cum Musis lætis plausêre choreis.* Nondum grandævus eras, & *vix TE prima conspexerat ætas*, en eccè jam præcelsa indole sedatos Viros mens TVA prætergressa fuerat. Semper viridante Majo messis Tibi creverat qualem vix unquam ad fecundi Autumni ferias colligere sperâsset. Quam primùm TE Iagielonicæ inspexêre Camænæ, ferventiori studio eruditionis colligentem fructum, jam ferè ipsâ manu tenentem vidêre. Nihil Tibi jam ex Heliconijs instillare fontibus poterat eruditi, quod non in Tuo tenero licèt, at capacissimo genio, & ingenio non inveniretur. Vndè jam Patriæ Athenæ nil majus conferre possent, Exoticos lustrare Soles, tendis bonis Avibus in Latiale solum, & septicollem Vrbem ex præcelso ingenij Tui colle cernis, ac ipsemet ab alijs cerneris. Quanta lætitia præoccupaverat Italiam; quãtus stupor? cum Te pulcherrimâ virtute conspicuum & formosissimi Honoris Majestate decorum, undiquaq; fulgentissimum conspexerat.

Tunc corda Virorum Tibi faventium reserata patebant, & quæ in votis edixerant TIBI, tanta nunc præcelsi honoris ascendis Culmina. Aquinaticus sol ita Tuum illuminavit Ausonijs, in terris genium, ut Theologici Studij incomprehensibilem abyssum frequentioribus circulis mentem Tuam expoliendo absorberes. Iam suas triumphatrix Roma vultu spretura fuisset Cathedras, si ignorâsset adhuc, quanta Tuis Ceris præfers stemmata, & quasi ipsa se allocuta fuisset, si non aliud ANTISTITI huic clari sanguinis Stemma, quàm Caput concessum est: mox laurea serta Sacrato Capiti paranda sunt. Ideoq; TE Sacræ Theologiæ Doctorem ritu solenni creavit, & pronuntiavit. Hâc coronatum Laureâ reducem Te salutavit Patria, atq; dum Tuam pietatem, & sacrandæ scientiæ ambrosiam tecum in Patriam invexisti, enecce mox Illmi & Reverẽdissimi CAPITVLI Cracovień: Insignia Tuã exãbivêre frõtem, imò mentem Laureatã CELSISSIMVS olim PRÆSVL ANDREAS TRZEBICCIVS, Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ, cui multùm carus, & consanguinitatis nexu junctus exstiteras, inter trinas CAPVT TVVM fecit radiare CORONAS, videns TVAM CELSISSIMAM indolem

aureo virtutum fulgidam cætu, pietate, ac modestiâ comptissimum vultum, dulciq; eloquio nemini secundum; in Divinis ratiocinationibus etiam altissimum Theologicæ facultatis, & re, & nomine parem, Clarissimum Doctorem. Itaq; bonis Avibus inter Craciæ Cathedræ Senatorum pretiosissimas Coronas CAPVT in sublime extulisti, ac triplici Diademate TVAM condecorâsti frontem, quia gemma Sacerdotum, Doctorum Oraculum, totiusq; Cleri pretiosissima existis Corona. Iam & MALACHOVIA FASCIA niveo se TIBI circumvoluit gyro, faventiq; nodo explicavit se TIBI ad votū optimæ Patritiæ virtutis effigiem in Te cum perspexerit, intima sui PRÆSVLEI pectoris evoluit penetralia, Vt primū TIBI fulminantis Astrææ manutenere bilancem concessum est; mox Regni Lechici Augustissimum Tribunal in suis juribus, ac Privilegijs firmiùs stetit, & in gremio Deputatorū Supremorum Iudicum exosculata est T E Polona Themis, sic meritis & honore potens, cunctorum devincens affectus, exstitisti, non modò tristi suffusorum pudore scelerum, ac gliscentium injuriarum, sed quod longè magìs decorum, magìs dulce, magìs gloriosum, subactorum Cordium triumphator. O! utinam diuturniori in Cracoviensi Cathedra floruisset virore, Sacra DąMBSCIANA PINVS! (heu! breve delicium sponsæ & nostrî nonnisi materies mæstissima luctûs) quantum exindè promanaret in TE PRÆSVL ILLVSTRISSIME solatium, si Te Præsuleis revinctum tænijs, de excelso culmine Cracij Vavelli Tuus prospiceret DąMBSCIVS! sed quanquam hæc solatia invidis manibus diri nobis abripuerūt Manes; non prorsus tamen abstulerunt. Vicinam propriæ, quo fædera amicitiæ propiùs ac viciniùs firmaret & stabiliret, quò sanguinis præcelsi vincula, simili splendore fulgere efficeret, in Tuo sinu deposuit Mitram, & Vicariæ potestatis trabeatos fasces, atq; Sacrum regimen reliquit, majora proculdubio daturus, si atrox Lybitina diutiùs lucis usurâ frui permisisset. Verùm enimverò Tuæ damna ruinæ benè compensat DONHOFFIVM CAPVT, atq; consangvineæ Pinûs dolorem cordi suo *imprimit, vultuq; favens, quod cæperat illa perficit*, quando novam TVÆ Fronti imponit Tiaram. Lætabatur protunc Claromontana Sion, *& conventum faciebant omnes, qui diligebant eam.* Favebant Cæli, adstabant Musæ, plausum dabant omnes Gratiæ ei, *cui distulerant melioris sę-*

cla

cla metalli, PRÆSVL adfuit Heracleensis ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI CAPITVLI Cracoviensis, protunc Viduæ Diœcesis, GENERALIS ADMINISTRATOR, qui molem tám grandem regeret & administraret. Non alium SZEMBECCIÆ ROSÆ optaverunt sibi Successorem, nisi eum, cui toto pectore addictæ mansére, & longo temporis spatio in gremio Sacri Senatûs ILLVSTRISSIMI CAPITVLI Cracoviensis, & Societate laborum cóadunatum habuerunt. CAPVT TVVM Aureum, Tiaratis honoribus coronare decreverat Cælum, qui jucundum omnium gratiarum succinctus choro, magnũ decus addidisti TVÆ INFVLÆ. Sanguinis Agnati Luminaria splendente pariter nexu Te irradiant, quæ inter Gracias Coronas splendidiùs emicant intenduntq; diem. Primum sibi vendicat locum CIENSCIANA probitas, & diem serenam suis Avitis accendit Ceris, ac immortalis famæ Consanguineum CAPITI CAPVT, inter alta Vavelli culmina primis fascibus fastigia tenens *jucundo irradiat diademata vultu*, necnõ TIBI PRÆSVL ILLVSTRISSIME, totis expãdit lucẽ suam venis suoq; affini mille trophæa corde patenti offert. Alterum Luminare ab OPACCIANIS ARMIS suam derivans Originem, undiquaq; Te circumfundit, & splendidiùs quàm Ancile Quirini, templa Numæ, vel Palladium sua pergama, Sacras Vavelleæ Basilicæ Ædes, aditumq; ipsius condecorant. *Ille Tuo pridẽ totum pectus reseravit amori*, cujus proxima alti sanguinis vincula murice resplẽdẽt. Accedit KONIECPOLSCIORVM Soleatũ affine jubar, junctum Illustribus SOKOłOVIORVM Stẽmatibus, meritissimis ROKSICIIS, Veterib⁹ ZAPOLIORVM Ceris, GOMOLINIOrũ ãplis decorib⁹ Sarissis. Pari radiãtia splendore, ut Tuæ Diœcesi, nunc venerabundo cum plausu Inclinata Illustrissima ZAMOSCIORVM Domus, ad Tui ingressũ optatissimum sttemmata & tot infinita Orbem Polonum maximè irradiantia TVÆ affinitatis Luminaria, Tuo CAPITI radiantem nectunt Coronam. Germanis Fratribus TVIS ILLVSTRISSIMIS, ADAMO & BOGVSLAO, quantum exindè incrementum solatij? quod Te alterâ jam Dispensatrix Infularum Roma, coronavit Tiarâ. Felices Nos! qui talem nacti sumus Pastorem, felicem Clerum! cui talis ac tantus obtigit Antesignanus. Fortunatum gregem, cui tam sancta factus es norma, vt ex TE virtutum exempla, Religionis tutelam, cultûs Divini zelum,

D devo-

devotionis ardorem, sanctimoniæ & mansuetudinis non rudimenta discat, sed exactæ perfectionis, apertissima hauriat experimenta. Fugiet profundius in sua barathra scelus, nec tentabit unquam triste CAPVT, & venenatos indè attollere oculos, quos luce suâ renitens in TVA Insula pietas acutâ radiorum suorum acie verberabit. Dilatabit spatiosum lumen aureorum Mater sæculorum virtus, & non fictos jam Hesperidum hortos, Draconibus custoditos, sed feraces operum bonorum germinabit plantas, *placitumq; Cælo dabit Terra Nostra fructum.* Sequentur TE, ingressum Cathedram TVAM, hancq; Nostram Collegiatam bonæ Charites, & quælibet earū de suo Copiæ Cornu miros spargent odores, & sapores. Ridebit stridentium hostium minas Fortalitium istud, pro quo tam placitus Cælo Vigil excubabit. Ludet Pax, & beata faustitas inter Nos, inustaq; damna restaurabit fænore meliori, dum TVA Cælum devotio pro vix jam spirante populo solicitabit. Deniq; fervens in TE zelus animarum, quarum vel maximè avari sunt Superi. Voce TVA, monitis, exemplo, manuductione, criminum frenis, armatus, & potens, toti Fidelium TE ambienti & desideranti cætui arctum & asperum ad Sydera iter planum faciet, ac jucundum.

HÆc augur, animus, certius quàm ex Haruspicum responsis, aut ex folijs Sybillæ excussa oracula, quia TVÆ confisus pietati, & probitati, non temerè depromit vota, tantò certiora, quod sese ad BONÆ SPEI CAPVT constitutum, non tàm fatidicum existimet, quàm veridicum. Vrge tantùm Cælos vt cæpisti PRÆSVL ILLVSTRISSIME, effice, vt non vanus audiam Vates, vt circumambiens TE hæc populorum exultantium Corona, eorum, quæ concepit, compos fiat votorum, vt Diœcesis, quam TIBI Pastorum summus credidit, TE Duce, TE Rectore, ita felix transeat *per bona temporalia, vt non amittat æterna.* Facite, facite ô Superi hanc ANTISTITI Nostro beatitatem, vt felix, & longævus Gregi suo præsit, Depluite gratias, effundite subsidia, vibrate radios, vt jucundus, potens, & clarus animis subditorum PRÆSVL Noster dominetur. Temperate curas, addite Consilia, auferte obstacula, vt asperum planans iter populo, reflexos dirigat calles. Augete vigorem, producite in sæcula dies, quos nulla lædat malè feriatæ Morboniæ temeritas, vt sanus, integer, longævus, beato exitu, impleat desideria Nostra, quæ nunc depromimus ad suum optimæ semper felicitatis penu, & Archivium;

CAPUT BONÆ SPEI.